



L. autem VERVS Commodus ANTONINVS,
 ex L. Ceiono Cōmodo & Domitia Caluilla natus, ut prius
 dictum est, neq; inter bonos, neque inter malos numeratur
 principes, In adulescētia Grāmaticos, Rhetores, Philoso=
 phos, græcos & Latinos habuit, moribus ab initio probatis
 mox ad aleam, scorta ac popinas se conuertit, que uitia, ne
 palàm fierent, à Marco in Syriam missus, ubi haud minore
 luxuria quàm Romæ uixit: uirtute tamen Auidij Casij lega=
 ti uictoriam adsecutus est. Posthæc in Marcomannos cum
 Marco profectus, in uehiculo sedens apud fratrem apople=
 xia correptus post triduum perijt, non sine ueneni suspicio=
 ne propinati à Lucilla uxore filia Marci, ob Fabiæ sororis
 consuetudinem, uixit annis xliij. Imperauit cum fratre xij,
 & in Hadriani sepulchrum illatus est, cum inscriptione,
 quæ adhuc extat.